

Ipsam enim desiderium tuum, oratio tua est: et si continuum desiderium, continua oratio. Non enim frustra dixit Apostolus: « Sine intermissione orantes¹. » Numquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus, ut dicat: « Sine intermissione » orate? » Aut si sic dicimus nos orare, hoc puto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est: « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum². » Frigus charitatis, silentium cordis est: flagrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris. Et rugitus cordis tui ante quem sit, oportet ut intelligas. Jam quale desiderium debeat esse ante oculos Dei, considera. Numquid ut moriatur inimicus noster, quod quasi juste optant homines? Nam aliquando oramus quod non debemus. Illud quod quasi juste orant homines, videamus. Nam orant ut moriatur aliquis, et ad illos hæreditas veniat. Sed et illi qui orant ut moriantur inimici, audiant Dominum dicentem: « Orate pro inimicis vestris³. » Non ergo hoc orant, ut moriantur inimici: sed hoc orant, ut corrigantur, et mortui erunt inimici: jam enim correcti, non erunt inimici. « Et ante omne desiderium meum. » Quid si desiderium ante illum est, et ipse gemitus non est ante illum? Unde fieri potest, quando ipsum desiderium vocem suam habet gemitum? Ideo sequitur: « Et gemitus meus non » est absconditus a te. » A te non est absconditus, a

¹ 1 Thess. v, 17. — ² Matth. xxiv, 12. — ³ Id. v, 44, et Luc. vi, 27.

multis autem hominibus absconditus est. Videtur aliquando humilis servus Dei dicere: « Et gemitus meus non » est absconditus a te. » Videtur aliquando et ridere servus Dei: numquid desiderium illum mortuum est in corde? Si autem inest desiderium, inest et gemitus. Non semper pervenit ad aures hominum, sed nunquam recedit ab auribus Dei.

XV. « Cor meum conturbatum est. » Unde conturbatum est? « Et deseruit me fortitudo mea. » Plerumque irruit nescio quid repentinum, fit conturbatio cordis: contremiscit terra, tonitrus datur de cælo, horribilis fit impetus vel strepitus, leo forte videtur in via, fit conturbatio: latrones insidiantur, fit conturbatio cordis, pavetur, undique sollicitudo incutitur. Unde hoc? « Quia deseruit » me fortitudo mea. » Si enim maneret illa fortitudo, quid timeretur? Quidquid nuntiaretur, quidquid frenderet, quidquid sonaret, quidquid caderet, quidquid horreret, non terreret. Sed unde illa perturbatio? « Deseruit me » fortitudo mea. » Unde deseruit fortitudo? « Et lumen » oculorum meorum non est mecum. » Latuerat ergo Adam lumen oculorum ipsius. Nam lumen oculorum ipsius ipse Deus erat: quem cum offendisset, fugit ad umbram, et abscondit se inter ligna paradisi¹. Pavebat a facie Dei, et quæsitum umbram arborum. Jam inter arbores lumen oculorum non habebat, ad quod gaudere consueverat. Si ergo ille de origine, et nos de propagine; et redeunt ad illum secundum vel novissimum Adam membra ista, quia novissimus Adam in spiritum vivificantem²; et clamant de corpore ejus in ista confessione: « Et lumen » oculorum meorum non est mecum: » jam confitens, jam redemptus, jam in corpore Christi est, et lumen oculorum ipsius non est cum ipso? Plane non est cum ipso: sed est

¹ Gen. iii, 8. — ² 1 Cor. xv, 45.

quidem tanquam adhuc recordantium sabbatum, tanquam cernentium in spe; sed nondum est illud lumen de quo dicitur: « Ostendam me ipsum illi¹. » Est quiddam luminis, quia filii Dei sumus, et utique hoc in fide retinemus: sed nondum est illud lumen quod videbimus. « Nondum enim » apparuit quod erimus: scimus quia cum apparuerit, » similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est². » Nam modo lumen fidei et lumen spei est. « Quandiu enim » sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem » enim ambulamus, non per speciem³. Et quandiu quod » non videmus speramus, per patientiam expectamus⁴. » Voces sunt ergo istæ peregrinantium, nondum in patria constitutorum. Et recte dicit, et vere dicit, et si non sit dolosus, veraciter confitetur: « Et lumen oculorum meorum non est mecum. » Hæc patitur homo intus, ibi secum, in se ipso, et se ipsum, de nemine ad neminem præter se: hæc sibi ipse poena sua esse meruit, quidquid superius enumeravit.

XVI. Sed numquid hoc solum est quod patitur homo? Patitur enim ex se intrinsecus, forinsecus autem ex eis inter quos vivit: patitur mala sua, cogitur pati et aliena. Inde sunt illæ duæ voces: « Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo⁵. » Jam de occultis suis confessus est, a quibus se cupit mundari: dicat et de alienis a quibus sibi vult parci. « Amici mei. » Quid dicam jam de inimicis? « Amici mei et proximi mei adversum » me appropinquaverunt, et steterunt⁶. » Hoc quod ait: » Adversum me steterunt, » intellige. Si enim adversum me steterunt, adversus se ceciderunt. « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt. » Jam intelligamus capitis voces, jam incipiat illuescere

¹ Joan. xiv, 21. — ² 1 Joan. iii, 2. — ³ 2 Cor. v, 6, 7. — ⁴ Rom. vii, 25. — ⁵ Psal. xviii, 13, 14. — ⁶ Psal. xxxvii, 12.

caput nostrum in passione. Sed rursus cum cœperit caput dicere, noli inde separare corpus. Si caput noluit se separare a vocibus corporis, corpus se audeat separare a passionibus capitis? Patere in Christo; quia tanquam peccavit in infirmitate tua Christus. Modo enim peccata tua tanquam ex ore suo dicebat, et ea dicebat sua. Dicebat enim: « A facie peccatorum meorum, quæ non erant ipsius. » Quomodo ergo peccata nostra sua esse voluit propter corpus suum, sic et nos passiones ejus nostras esse velimus propter caput nostrum. Non enim ille ex amicis passus est inimicos, et nos non. Imo et nos ad hoc paremus in eodem convivari: talem calicem non respuamus, ut celsitudinis ejus desiderium per humilitatem ejus inveniamus. Respondit enim celsitudini ejus hæerere volentibus, qui ejus adhuc humilitatem non cogitabant, et ait illis: « Potestis » bibere calicem quem ego bibiturus sum¹? » Ergo et illæ passiones Domini, passiones nostræ sunt: et unusquisque si bene serviat Deo, bene servet fidem, exhibeat quod debet, et versetur inter homines juste, volo videre si non patitur, etiam quod hic enumerat in passione sua Christus.

XVII. « Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et proximi a longe steterunt². » Qui proximi appropinquaverunt, et qui proximi a longe steterunt? Proximi erant Judæi, quia cognati erant, appropinquaverunt, et quando crucifixerunt. Proximi et Apostoli: et tamen ipsi a longe steterunt, ne cum illo paterentur. Potest etiam hoc sic intelligi: « Amici » mei, » id est, qui se finxerunt amicos meos. Amicos enim se finxerunt, quando dixerunt: « Scimus quia in » veritate viam Dei doces³: » quando illum tentare voluerunt, utrum solvendum esset tributum Cæsari, quando

¹ Matth. xx, 22. — ² Psal. xxxvii, 13. — ³ Matth. xxii, 16.

illos convicit ore ipsorum, amici videri volebant: sed non illi erat opus ut quisquam ei testimonium perhiberet de homine¹; ipse enim sciebat quid esset in homine: adeo ut eum amica verba dixissent, responderet eis: « Quid me, » inquit, tentatis, hypocritæ²? » Ergo « Amici mei et » proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et proximi a longe steterunt. » Nostis quid dixi. Proximos dixi qui appropinquaverunt, et tamen a longe steterunt. Appropinquaverunt enim corpore, sed longe steterunt corde. Qui tam propinqui corpore, quam qui in crucem levaverunt? Qui tam longe corde, quam qui blasphemaverunt? Audite istam longinquitatem ab Isaïa propheta, videte istam propinquitatem et longinquitatem: « Populus hic labiis me honorat: » ecce propinquat corpore: « Cor autem eorum longe est a me³. » Iidem propinqui, iidem longinqui: propinqui labiis, longinqui corde. Verumtamen quia longe steterunt timentes Apostoli, absolutius et planius de illis accipimus ut alios propinquasse, alios longe stetisse intelligamus: quandoquidem et Petrus qui audacius secutus fuerat, ita adhuc longe erat, ut interrogatus et perturbatus, ter negaret Dominum, cum quo se moriturum esse promiserat⁴. Qui postea ex longinquo ut propinquus fieret, audivit post resurrectionem: « Amas me? » et dicebat: « Amo⁵. » Et dicendo propinquabat, qui negando longe factus erat, donec trina voce amoris, solveret trinam vocem negationis. « Et proximi mei a longe steterunt. »

XVIII. « Et vim faciebant qui quærebant animam » meam⁶. » Jam manifestum est qui quærebant animam ipsius: qui non habebant animam ejus, quia non erant in corpore ejus. Qui quærebant animam ejus, longe erant

¹ Joan. II, 25. — ² Matth. XXII, 18. — ³ Isaï. XXIX, 13. — ⁴ Matth. XXVI, 70. — ⁵ Joan. XXI, 17. — ⁶ Psal. XXXVII, 13.

ab anima ejus: sed quærebant ut occiderent eam. Quæritur enim anima ejus et bene. Nam alio loco arguit quosdam dicens: « Et non est qui requirat animam meam¹. » Arguit quosdam non quærentes animam ejus, et rursus arguit alios quærentes animam ejus. Quis est qui quærit bene animam ipsius? Qui ejus passiones imitatur. Qui sunt qui quærebant male animam ejus? Qui ei vim faciebant, et crucifigebant eum.

XIX. Sequitur: « Qui quærebant mala mea, locuti » sunt vanitatem. » Quid est, « Qui quærebant mala » mea? » Multa quærebant, et non inveniebant. Forte hoc dixerit: Quærebant crimina mea. Quæsierunt enim quæ in illum dicerent, et non inveniebant². » Quærebant enim mala de bono, quærebant scelera de innocente: quando invenirent in eo qui nullum peccatum habebat? Sed quia peccata quærebant in eo, qui nullum peccatum habebat, restabat ut fingerent quod non inveniebant. Ideo, » Qui quærebant mala mea, locuti sunt vanitatem, » non veritatem. » Et dolum tota die meditabantur: » hoc est, fallaciam sine cessatione meditabantur. Nostis quanta falsa testimonia dicta sunt in Dominum, antequam pateretur. Nostis quanta falsa testimonia dicta sunt, etiam cum resurrexisset. Nam illi milites custodes sepulcri, de quibus Isaïas dixit: « Ponam malos pro sepultura ejus³: » (Mali enim erant, et veritatem dicere noluerunt, et corrupti mendacium seminaverunt:) attendite qualem vanitatem locuti sunt. Interrogati sunt etiam ipsi, et dixerunt: « Cum dormiremus, venerunt Discipuli ejus, et abstulerunt eum⁴. » Hoc est loqui vanitatem. Si enim dormiebant, unde sciebant quod gestum erat?

XX. Ergo ait: « Ego autem velut surdus non audie-

¹ Psal. CML, 5. — ² Matth. XXVI, 59. — ³ Isaï. LIII, 9. — ⁴ Matth. XXVIII, 13.

» biam. » Qui ad ea quæ audiebat non respondebat, tanquam non audiebat. « Ego autem velut surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum. » Et repetit eadem : « Et factus sum sicut homo non audiens, et non » habens in ore suo redargutiones¹. » Quasi non esset quod illis diceret, quasi non esset unde illos argueret. Nonne jam antea multa increpaverat, multa dixerat, et dixerat, « Væ vobis Scribæ et Pharisæi, hypocritæ², » et multa talia? Tamen quando passus est, nihil horum dixit : non quia non habebat quod diceret, sed expectabat ut complerent illi omnia, et implerentur omnes prophetiæ de illo, de quo dictum erat : « Et sicut ovis coram tondente se sine » voce, non aperuit os suum³. » Oportebat ergo ut taceret in passione, non taciturus in iudicio. Judicandus enim venerat, qui postea iudicaturus veniret : et ideo cum magna potestate iudicaturus, quia cum magna humilitate iudicatus.

XXI. « Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies, » Domine Deus meus⁴. » Tanquam si ei diceretur : Quare non aperuisti os tuum? quare non dixisti : Parcite? quare non in cruce pendens iniquos arguisti? Sequitur, et dicit : « Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies, Domine » Deus meus. » Monuit te quid facias, si forte occurrerit tribulatio. Quæris enim te defendere, et forte nemo accipit defensionem tuam. Jam tu perturbaris, quasi perdidideris causam tuam, quia nullius habes defensionem aut testimonium. Custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines : numquid apud Deum valebit, ubi causa tua dicenda est? Quando Deus iudex erit, alius testis quam conscientia tua non erit. Inter iudicem justum et conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam : si

¹ Psal. xxxvii, 14, 15. — ² Matth. xxiii, 13. — ³ Isai. lxxv, 7. — ⁴ Psal. xxxvii, 16.

causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles, nullum verum requires. Tu tantum bonam conscientiam affer, ut possis dicere : « Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies, » Domine Deus meus. »

XXII. « Quia dixi : Nequando insultent in me inimici » mei, et dum commoventur pedes mei, in me magna » locuti sunt¹. » Iterum redit ad infirmitatem corporis sui, et rursus caput illud attendit pedes suos : non sic est in coelo, ut deserat quod habet in terra : attendit plane, et videt nos. Aliquando enim, ut est ista vita, commoventur pedes nostri, et labuntur in aliquo peccato : ibi exurgunt linguæ nequissimæ inimicorum. Hinc ergo intelligimus, etiam cum tacebant quid quærebant. Loquuntur tunc aspere immites, gaudentes se invenisse quod dolere debuerunt. « Et dixi : Ne aliquando insultent in me » inimici mei. » Dixi hoc, et tamen forte ad emendationem fecisti eos magna loqui de me, « Dum moverentur » pedes mei, » id est, elati sunt, multa mala dixerunt, cum commoverer. Misereri enim debuerunt infirmis, non insultare : quomodo Apostolus dicit : « Fratres, si præ- » occupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiri- » tales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudi- » nis. » Et complectitur quare : « Intendens, inquit, te » ipsum, ne et tu tenteris². » Non erant isti tales, de quibus dicit : « Et dum commoverentur pedes mei, in me » magna locuti sunt : » sed erant tales de quibus alibi dicit : « Qui me premunt, exultabunt si motus fuero³. »

XXIII. « Quoniam ego in flagella paratus sum⁴. » Omnino magnifice, tanquam diceret : Ad hoc natus sum, ut flagella sufferam. Non enim nasceretur nisi de Adam, cui flagella debentur. Sed aliquando peccatores in hac vita

¹ Psal. xxxvii, 17. — ² Gal. vi, 1. — ³ Psal. xii, 5. — ⁴ Id. xxxvii, 18.

aut non, aut minus flagellantur; quia jam desperata est intentio eorum. At vero illi quibus paratur vita sempiterna, necesse est ut hic flagellentur: quia vera est illa sententia: « Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque » fatigeris cum ab illo increparis: quem enim diligit Dominus » minus corripit; flagellat autem omnem filium quem » recipit¹. » Ideo ergo non insultent inimici mei, non magna loquantur: et si flagellat me Pater meus: « In flagella paratus sum; » quia mihi hæreditas præparatur. Non vis flagellum, non tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse est ut flagelletur. Usque adeo omnis flagellatur, ut nec illi pepererit² qui peccatum non habuit³. « Quoniam ego in flagella paratus sum. »

XXIV. « Et dolor meus ante me est semper⁴. » Quis dolor? Forte de flagello. Et vere, fratres mei, vere dicam vobis, flagella sua dolent homines, quare flagellantur non dolent. Non erat iste sic. Audite, fratres mei: Nescio quis si damnum patitur, proclivior est ut dicat: Indigne passus sum, quam ut consideret quare passus sit, dolens damnum pecuniæ, non dolens justitiæ. Si peccasti, thesaurum tuum interiorem dole: nihil habes in domo, sed forte inanior es corde: si autem plenum est cor bono suo, Deo tuo; quare non dicis: « Dominus dedit, Dominus » abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum⁵? » Unde ergo iste dolebat? de flagello quo flagellabatur? absit. « Et dolor meus, inquit, ante me est semper. » Et quasi diceremus, quis dolor? unde dolor? « Quoniam iniquitatem meam ego » pronuntio, et curam geram pro peccato meo⁶. » Ecce unde dolor. Non de flagello dolor: de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum est contra pec-

¹ Prov. III, 11, 12. — ² Rom. VIII, 32. — ³ I Petr. II, 21. — ⁴ Psal. XXXVII, 18. — ⁵ Job. I, 21. — ⁶ Psal. XXXVII, 19.

cata. Audite, fratres: Christiani sumus; et tamen plerumque si filius cujusquam moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret, cum peccantem videret; tunc modum imposeret, tunc normam vivendi doceret, disciplinam daret: aut si fecit, et ille non audivit, tunc erat plangendus; tunc pejus mortuus luxuriose vivens, quam moriendo luxuriam finiens: tunc ergo quando ista faciebat in domo tua, non solum mortuus erat, sed et putebat. Hæc dolenda sunt, illa sustinenda: illa ferenda, ista plangenda. Plangenda autem, quomodo audistis plangere istum: « Quoniam » iniquitatem meam ego pronuntio, et curam geram pro » peccato meo. » Ne securus sis, cum confessus fueris peccatum tuum, tanquam semper præparatus ad confitendum et committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid est, curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres: Curam geram pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi, Dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose et sedulo agere ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lacrymæ currunt, et manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut et tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, egres et tu: eget ille ad te, egres et tu, ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua. Hoc est: « Curam geram pro peccato » meo, » faciam omnia quæcumque facienda sunt, ad abolendum et sanandum peccatum meum. « Et curam geram pro » peccato meo. »

XXV. « Inimici autem mei vivunt¹. » Bene est eis;

¹ Psal. XXXVII, 20.

gaudent in sæculi felicitate, ubi ego laboro, et rugio a gemitu cordis mei. Quomodo vivunt inimici illius, quia jam dixit de illis : « Quoniam locuti sunt vanitatem? Audi et » in alio Psalmo : Quorum filii sicut novellæ constabilitæ. » Sed superius dixerat : « Quorum os locutum est vanitatem, filiæ eorum compositæ sicut similitudo templi ; » cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc ; boves » eorum crassi, oves eorum foecundæ multiplicantes in » exitibus suis : non est ruina sepi, neque clamor in plantis eorum¹. » Vivunt ergo inimici mei : hæc vita est, hanc laudant, hanc amant, hanc malo suo habent. Quid enim sequitur? « Beatum dixerunt populum, cui hæc » sunt. » Quid autem tu, qui curam geris pro peccato tuo? quid tu, qui pronuntias iniquitatem tuam? « Beatus, inquit, » populus cujus est Dominus Deus ipsius². Inimici » autem mei vivunt : et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui me oderunt inique³. » Quid est : « Qui » oderunt inique? » Bona sibi volentem oderunt. Qui si redderent mala pro malis, boni non essent : qui si non redderent bona pro nobis, ingrati essent : reddunt autem mala pro bonis qui oderunt inique. Tales fuerunt Judæi : venit ad illos Christus cum bonis, reddiderunt illi mala pro bonis. Cavete hoc malum, fratres : cito subintrat. Quia diximus : Tales erant Judæi ; ne putet unusquisque vestrum longe se exceptum. Corripiat te aliquis frater tuus, bonum tibi volens ; oderis illum, et talis es. Et videte quam cito fiat, quam facile : et vitatote tam magnum malum, tam agile peccatum.

XXVI. « Detrahebant mihi qui retribuunt mala pro » bonis, quoniam persecutus sum justitiam⁴. » Ideo mala pro bonis. Quid est, « Persecutus sum justitiam? » Non dimisi : ne forte persecutionem semper in malo intelligas,

¹ Psal. cxliii, 12-15. — ² Ibid. — ³ Id. xxxvii, 20. — ⁴ Ibid. 21.

« Persecutus » dixit, perfecte secutus : « Quoniam persecutus sum justitiam. » Et audi caput nostrum ejulans in passione : Et projecerunt me dilectum, tanquam mortuum abominatum. Parum erat mortuum, quare abominatum? Quia crucifixum. Etenim hæc mors crucis magna apud eos abominatio erat, non intelligentes in prophetia dictum esse : « Maledictus omnis qui pendet in ligno¹. » Non enim ipse attulit mortem, sed hic invenit de maledicto primi hominis propagatam² : et eandem mortem nostram suscipiens in ligno suspendit, quæ venerat de peccato. Ergo ne putarent aliqui ; sicut putant quidam hæretici³, Dominum nostrum Jesum Christum falsam carnem habuisse, et non veram mortem in cruce solvisse, intendit hoc Propheta, et ait : « Maledictus omnis qui » pendet in ligno. » Ostendit ergo quia et Filius Dei vera morte mortuus est, quæ mortali carni debebatur : ne non maledictum, putares non vere mortuum. Quia vero illa mors non erat falsa, sed ex illa propagine descenderat, quæ venerat de maledicto, cum diceret Deus : « Morte » moriemini⁴ : » omnino et ad ipsum quia pervenit vera mors, ut ad nos perveniret vera vita ; etiam ad ipsum pervenit mortis maledictio, ut ad nos perveniret vitæ benedictio. « Et projecerunt me dilectum, tanquam mortuum » abominatum. »

XXVII. « Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne » discesseris a me⁵. » Dicamus in illo, dicamus per illum ; ipse enim interpellat pro nobis⁶ : » et dicamus : « Ne derelinquas me, Domine Deus meus. » Et tamen dixerat : « Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti⁷? » et dicit : « Deus meus, ne discesseris a me. » Si a corpore non recedit, recessit a capite? Cujus ergo vox erat, nisi primi

¹ Deut. xxi, 23. — ² Gal. iii, 10. — ³ Manichæi. — ⁴ Gen. ii, 17. — ⁵ Psal. xxxvii, 22. — ⁶ Rom. viii, 34. — ⁷ Matth. xxvii, 46, et Psal. xxi, 2.

hominis. Ex illo ergo se ostendens veram carnem portare, dicit : « Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti? » Non illum dimisit Deus. Si te non dimittit credentem in se, Christum dimitteret Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus? Sed personam in se transfiguraverat primi hominis. Scimus, dicente Apostolo : « Quia vetus homo nos » ter confixus est cruci cum illo¹. » Non autem careremus vetustate, nisi crucifigeretur in infirmitate. Ad hoc enim venit, ut renovemur in illo : quia desiderando eum et passionem ejus imitando renovamur. Ergo vox erat infirmitatis, vox erat nostra, qua dictum est : « Quare me dereliquisti? » Inde ibi dictum est : « Verba delictorum » meorum² : » tanquam diceret : Hæc verba ex persona peccatoris in me transfigurata sunt. « Ne discesseris a me. »

XXVIII. « Intende in adjutorium meum, Domine salutis meæ³. » Ipsa est salus, fratres, de qua salute exquisierunt Prophetæ, sicut dicit apostolus Petrus : et non acceperunt qui exquisierunt⁴; sed inquisierunt, et prænuntiaverunt, et venimus nos, et invenimus quod illi exquisierunt. Et ecce nos nondum accepimus; et nascuntur post nos, et invenient quod nec ipsi accipient, et transient : ut omnes simul in fine diei cum Patriarchis, et Prophetis, et Apostolis denarium salutis accipiamus. Etenim nostis mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam, mercedem tamen pariter acceperunt⁵. Et Prophetæ ergo, et Apostoli, et Martyres, et nos, et qui post nos erunt usque in finem sæculi, in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam, ut contemplantes gloriam Dei, et ejus faciem intuentes, eum laudemus in æternum, sine defectu, sine aliqua pœna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati, laudantes Deum, et non jam

¹ Rom. vi, 6. — ² Psal. xxi, 2. — ³ Id. xxxvii, 23. — ⁴ 1 Petr. i, 10-12. — ⁵ Matth. xx, 9.

suspirantes, sed inhærentes illi, cui usque in finem suspiravimus, et in spe lætati sumus. In illa enim civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est : quidquid est bonum nostrum, a quo peregrinantes laboramus, in illo inveniemus. In illo erit quies, quam modo recordantes necesse est ut doleamus. Illud enim sabbatum recordamur, in cujus recordatione tanta dicta sunt, et nos tanta dicere debemus, et dicentes nunquam tacere, non ore, sed corde : quia sic ore tacemus, ut corde clamare possimus.

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXXVIII.

SERM. I. (8)

I. PsALMI hujus², quem modo cantavimus, et tractandum suscepimus, titulus est : « In finem pro Idithun, » Canticum ipsi David³. » Cujusdam ergo, qui vocatur Idithun, voces expectandæ et audiendæ sunt : et si esse unusquisque nostrum potuerit Idithun, in eo quod cantat invenit se, et audit se. Videris enim quis vocatus fuerit Idithun secundum hominum priscam nativitatem : nos autem audiamus quid interpretetur hoc nomen, et in ipsa interpretatione nominis quæramus intelligentiam veritatis. Sicut ergo inquirentes reperire potuimus in eis nominibus, quæ nobis a studiosis Litterarum divinarum ex hebræo eloquio in latinum interpretata sunt, Idithun in-

¹ Sermo habitus Carthagine ad mensam S. Cypriani. — ² Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 463-464. — ³ Psal. xxxviii, 1.